PRO RECVPERATA VALETVDINE

EXCELLENTISSIMI MARCHIONIS

HIERONYMI RVFFI

A CONSILIIS SANCTIORIBVS ET A SECRETIS REGNI

AD DOMVM AVG. ORDINESQVE EQVESTRES SPECTANTIBVS MINISTRI

ALOYSII CATERINI

ELEGIA

Ite procul tristes turbata e mente dolores;
Nostra nec ancipites tangite corda metus.
Moesti sat lacrymis oculi indulsere; sat ingens
In nostrum irrepsit pectus amarities.
Hei mihi! si repetam, de Te aegrotante remotis
Quae fama ex Istri nuncia venit aquis;
Tunc mea membra tremunt, tenuis vox faucibus haeret;
Inficit et tristes pallor utrinque genas.
Ergon Virtutem Fortuna tenaciter urget,
Et premit illustres invidiosa viros?
Saepe sed inconstans mutat Dea, Rvffe, tenorem:
Postmodo saepe suas temperat illa minas.
Iam fractae morbi vires abiere; Tibique
Prima salus faustis adfuit ominibus.

Qualis ubi obscura densantur nocte tenebrae,
Et nimbi aethereas occuluere faces;
Sol oriens caecas radiis procul eiicit umbras,
Atque refert purum purior ipse diem;
Incolumem Virtus sic Te Tua duxit ad urbem:
Heic rursum Tuus est inspiciendus honos.
Inspiciendus honos Nati, vestigia calcat
Qui Tua, sive domi, seu procul urbe manes.
Et Themidi, et Musis unus carissimus, aeque
Spes est Parthenopes, deliciumque Tui.
Solvamus Superis tanto pro munere grates,
Et cadat ante aras hostia opima sacras.
Votaque fundamus, vivas ut Nestoris annos,
Et Tibi pro meritis stet sine morte decus.